



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlm VIII. Significasti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

bent, c. relato, 9. & seqq. causa 10. q. 1. Sin tamen causa postulet, bis visitare potest, sicut de Episcopo habetur in c. cum venerabilis, 21. iun. Gl. ver. bis in anno, imò quoque ipsi videbitur, secundum Trident. sess. 6. c. 4 de reformat. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 40.

CAPITVLVM VII.

Ad hæc.

AD officium Archidiaconi (secundum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem) perinet Leuitis, & hypodiaconis imperare ; curam parochiarum gerere ; adeò, vt & Archipresbyteri, qui & Decani appellantur, eius iurisdictioni subsint. Sed ardua, seu maiora negotia ad maiorem se, videlicet Episcopum referre debet. Sed & Clericorum ordinandorum examinatio, atque institutio ad eundem Archidiaconum spectat, ita tamen, ut prius Episcopo præsententur, ab eoque approbentur.

Idemque dicendum de Decanis ruralibus, ab Archidiacono instituendos, amonendosque esse ; sed non sine Episcopi consensu. Nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Decani autem illi rurales subsunt tum Archidiacono, tum etiam Episcopo : Ergo eorum institutio, & destinatio ad utrumque pertinere debet.

Hoc est præcipuum huius tit. c. Sed quia eius materia satis explicata est. c. 1. 4. & 5. hinc nihil adiicio. Legi potest c. 1. d. 24. & c. Legimus, 24. d. 93.

CAPITVLUM VIII.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest. Sed neque Clerici freti talibus literis absque Episcopi licentia datis ordines accipere possunt: alioquin ab executione ordinum

prohiberi possunt. Ratio responsi est: quia per literas dimissorias derogatur iuri Episcopali, quod habet ad ordinandos Clericos sibi subiectos : Ergo præter eius consensum dimissoriæ dari non possunt. Quæ ipsa causa est, cur vacante Sede, Capitulum dimissorias concedere non possit. Quia iura Episcopalia succelsori reseruare debet.

SUMMARIUM.

Dimissoria sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario Generali data, pro non datis haberi debent.

NO TANDVM Vn. Si dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono, vel Vicario Generali datae sint, pro non datis haberi debent : ita vt poenæ & inhabilitates incurvantur, de quibus dixi in c. 2. de temp. Ordinat. & in 6. Vtrum vero in absentiâ Episcopi Archidiaconus dimissorias dare possit, ex consuetudine cuiusque Ecclesiæ petendum est, vti Gl. hæc notat ver. literas. Vide quæ dicta sunt in c. 3. de tempore ordinat. in 6.

CAPITVLUM IX.

Vt nostrum.

Spectato communi iure, ad Archidiaconum pertinet, ad Ordines promouendos examinare, & Episcopo præsentare ; Abbes, & Abbatisse instituere.

Intellige hæc cum dependentia ab Episcopo : Quia is curam Ecclesiarum sibi à sacris canonibus & Sede Apostolica commissam à se deponere nec debet, nec potest, vt dixi supra c. cùm satis, 4. hoc tit.

CAPITVLUM X.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Senonensis querelam detulit ad Honorium III. contra Abbatem,

CCCC &